Epistolam illam, utut inepta est, pariter faciam publici juris, quo sit integrum cuivis tacito judicio de utroque constituere. Nam indignum bono viro scripsi nihil, sicut ille bonis omnibus exsecranda omnia in me designavit. Exemplum à Senatu Helvetiorum Lucernae constituto nactus sum, quod annotatiunculis adjutum, uti redditum est, edidi. Nam illegibili charactere, occupatus ac festinabundus pinxisse videor, adeoque is, qui descripserit, parum quod scriptum erat, assequebatur, aut certè parum castigate fortassis ipse scripsi. Verum equidem nullam sententiam sciens dissimulabo, quin profitebor liberè, quod praemunitus tantae authoritatis exemplo commodè diffiteri possem. Adeò nihil horum pudet, quae in aures amicas vel temerè insusurravimus. Id lucro interim accedit, quod in posterum ad aedificationem omnia magis apposite tentabimus. Etenim magis innocentiam haud possumus, quum hac sint innocentissima, Deo inquam atque optimo quoque teste ac judice. Subnisimus praetereà Epistolas duas, quibus Fabrum disputatorem agentem apud Helvetios ad arenam provocavimus, piè nobis super doctrinis controversis experturum. Qua fide autem rejecerit nos, infrà exponam. Tu lege, cognosce, et pro innocente pronuncia. Vale Argentinae 2. Augusti. Anno 1526.

49.) MAGNIFICO VIRO D. D. JOANNI FABRO Constantiensi Canonico etc. agenti modo in Baden, Domino et Amico observando Concionatores et fratres Urbis Argentinae.

Gratiam Christi et agnitam veritatem liberè profiteri, optamus tibi à Deo Patre et domino nostro Jesu Christo, Faber magnifice. Libelli tui circumvolitant quibus tibi, tanquam de superato Zuinglio vehementer applaudis, cum pollicitatione, secura de nobis omnibus expugnandis, qui Christum concordi Spiritu per Germaniam purè docemus. Exultant immodicè, qui tua probant et infirmi nescio cujus eventus exspectatione in suspenso tenentur, quasi aliud Evangelium quam nos praedicemus, esse possit. Verum novit Dominus, qui rem sui sint, quos aura tam evanidi rumoris non commovet. Nemo enim eos de manu Patris avellet. Anno superiore similis rumor de te, utro bisecum congrediendi potestas fieret, affectante, Ecclesias nostras latè pervagavit, quem strenuè quidem dissimulavimus, quod tum verisimile nequaquam videbatur, te reverà id esse acturum, quod magnificis verbis praeferebas. Postquam in Dachstein, audiente Episcopo Argentinensi, Illustris Princeps Georgius Dux Brunsvicensis et Generosus Comes Ludovicus de Hoënloë et nostri copiam, et publicam hujus urbis securitatem, haud quaquam te desideraturum serio affirmarint, imò ejusmodi per se curaturos, suapte sponte receperint, neque tamen ut nobiscum experiri velles, persuaderi potueras. Tantopere amat factio tua non tam disputationem, quam fucum disputationis; nobis verò veritas potissimum cura est, quos quidem veritas verè liberos reddidit. Pari sententia transmisimus incuriosè, quae ab

Augusta huc de animo tuo, tanquam de fidei rebus nobis congredi
ambires, perlata sunt. Nam ejusmodi voluntatem etiam illic palam
profitebaris. Verum haud obscurum fuit, quo consilio illam profite-
baris. Nam eodem nuncio, qui tuas glorias ad nos detulit, certiores
sumus redditi, quam accurate omnia, quidam haud contemnendae
authoritatis obtulisset, quae ad functionem talem pertineant. Jam
vero, quia studia utrinque fervent, erectis multorum animis ad suc-
cessum jactatae victoriae, quos ad spectandam pugnam libellis tuis
ceu tuba provocas, nisi vicissim tibi de spe nostra rationem nos
reddituros profiteremur, videri possemus, aut parum verbo Dei, quod
praedicamus, fidere, aut gloriae Dei asserendae, dum est occasio, de-
esse. Proinde literis praesentibus nostri copiam tibi, mi Faber,
cupide offerimus atque oramus obsecramusque obnixissime, ut Badensi
conventu soluto, mox huc properes cum tuis complicibus, doceasque
nos fideliter, quae tibi videmur secus atque pietas ferat, promiscuae
plebi obtrudere. Nam nobis esse certissima atque invicta creduntur.
Tutissimus istam scenam hic ages, publicoque honore afficieris,
nam ad religionem illustrandam qualemcunque conatum Senatus
noster comprobat, et improbum quoque reprehensorem ferre novit.
Hauserunt enim Spiritum Christi, is gloriam Dei tolerantia
quam violenta propulsatione malorum, promovere mavult.
Praeterea tenuitatem nostram liberaliter exhibebimus, non
solum in collatione Scripturarum sinceri tecum veritatis ex-
ploratores, sed etiam ad coetera humanitatis munera, tibi ac
tuis officiosissimi futuri, quatenus cum Deo et Christo licebit. Fac
sentiamus ex te hoc officium charitatis, quia te religionis vindicem
jactas, ut errantes nos in viam reducere sustineas, nobisque li-
pato Scripturarum os obthures, quo minus impietatis virus in mul-
tos profundamus, siquidem tibi errare et simplicem credulitatem
pravis doctrinis inficere videmur. Quandoquidem nostri curam
et Ecclesiarum, quae Spiritu Christi et hujus verbo, quod nos an-
nunciamus, reguntur, imo piorum omnium ubique terrarum
sollicitudinem, tibi charitas imperat, si es, quem libenter audis,
et expetis ab omnibus videri. Oculorum vices in corpore Christi,
quia Doctor et Pastor nominaris, occupas. Cave igitur negligas
infirmis membris prospicere, nosque, si lupi habemur, a caulis
arcere, maxime cum te nullum periculum hic maneat, sed honor
publicus, et omnium ordinum studiosissima gratulatio. Nos donum
in te Dei, si in viam per te deducemur, sectatores Christi, Aposto-
lum, Adversarij nostri, salvatorem suum Fabrum agnoscant,
quorum acies crebris incursionibus labefactata nunc vehementer
inclinat, modo ex verbo Domini, nam alioqui frustra sudabis,
nos erroris redarguas, et illos ostendas recta incedere, quos hacte-
nus constanter praedicamus, a scopo pietatis nefarie prolapsos,
quemadmodum, gratia Deo, ex apertissimis Scripturis vel pueris
cognitum putamus. Adhoc adest oportunum tempus, modo serves
disputandi lusu et habes, quorum dexteritatem mirifice praedicas. Ne-
que enim ex commodo tuorum feceris, si cursum istum tuum
disputandi atque exercitatissimum satellitium, mora patiaris lan-
guescere. Nam ingenue fatebimur, et si res expostet, in publicum

affirmabimusque, per nos, haud quaquam stetisse, quo minus inter nos committeremur. Adeo nobis animo sedet studium asserendi liberam atque invictam veritatem. Vale in domino et veni nos per Christum docturus meliora, si tu istud fieri posse arbitraris. Nam gloriamur nos optimam partem nobis elegisse, et aliis per praedicationem verbi hactenus communicasse fideliter. Argentinae. 23. Maji. Anno 1526.

Epistolam hanc amici resignatam Fabro pertulerunt, nam occulti inter nos, quod ad omnes attineat, nihil retinemus. Hoc illius animum commovit vehementer, si nisi literarum argumentum potius conturbaverit. Idque Oecolampadio, in templo, inter disputandum palam exprobravit. Is respondit, ut ad omnia solet, perquam placide, ad se, nimirum nihil attinere, quid viri boni scriberent. Tum Faber, Quid? inquit, possuntne viri boni esse, qui non sunt boni Grammatici? Rumor late pervagavit, pro pervagatus est, scripserunt. Sic ait, quasi nemo bonus vir, nisi Grammaticae rei scientissimus habeatur. Quo profecto nomine, Faber magnifice, te virum plane improbum ac malum ipse facis, qui te ista sententia grammatica, non admodum eruditum declaras. Non enim Grammaticae inscitia, quando sic Nonio Marcello teste, vetustissimi Latini loquuti sunt, sed antiquitatis, velut affectatio videri fortassis potest, quod mihi imprudenti quidem, tum in calamum ultro influxerat, properanti ad alia magis factu necessaria. Neque enim soleo in stilum obsoleta curiosius revocare, quanquam pari genere Rhetorica ad Herennium utatur. Item Plautus omnium venustissime, quem Varro nominat delicias Romanae linguae. Cujus unius verba atque sententiam tibi haud gravor objicere. Te inquit, alloquor vitii probrique plenus, qui contra vicinos vagas.

50/ MAGNIFICO VIRO D. JOHANNI FABRO Canonico Constantiensi, disputanti modo in Baden, Praedicatores Evangelii Argentinae V. Capito. C. Hedio. Mattheus Zellius, M. Bucerus et caeteri

Gratiam Domini nostri Jesu Christi agnoscere, optamus tibi Magnifice Faber. Dedimus ad te 23. Maji literas, redditas non dubitamus, quibus oravimus te, obtestatique sumus, ut postquam illic depugnatum vobis esset, huc cum tuis commilitonibus, et nos quorum fidem haud ignoras esse, quam in Luthero et Zuinglio editis libellis pestilentissimam haeresin infamas, erroris convictuus, advolares. Non quod id posse te arbitraremur, nam scimus, cui credidimus, et aliud Evangelium ne ab Angelo quidem nedum a Fabro, Eccio, Murnero, ac istius farinae hominibus, audiendum, sed ut quantum ad nos attinet, caussam insultandi, non dico vobis, qui tibi omni rejectamento viliores, quam laudat; esse malumus, verum invicto et sanctissimo Dei verbo, quod certissime praedicamus, amputaremus. Etenim plusquam gloriose in Dachstein superiore anno praesente Episcopo Argentoracensi jactasti te, si modo nobiscum congredi daretur, os nobis minimo negotio obduraturum. Idem paucos ante menses Augustae

quoque ausus